

_Lettera_N_0750

Al signor Franz Fritz

*Taurini, pridie Kalendas Junii 31 maggio anno 1864

Humilis servus Sacerdos Bosco Joannes Franz Fritz in Domino salutem.

Divina Providentia factum est, ut inter juvenes, domi apud me hospitio receptos, etiam filium tuum Fritz Abraamum adnumerarem. Ipse post multas et graves vicissitudines Christianam religionem, uti scis, amplexus est et laudabiliter proficitur. Nihilominus ipse magis magisque diligit parentes suos atque quotidie pro ipsis Deum coeli et terrae deprecatur.

Usque modo moralitatis et religionis studio operam navavit, nunc agendum est de electione vitae futurae, hoc est an in aliqua arte, utrum in studio sese impendere debeat; ast filius tuus summopere optaret litterarum curriculum prosequi, quod et ego haud aliter atque ipse libenti animo desidero. Sed quum non laevia impendia hac in re sint agenda, aliunde quum domus haec publica beneficentia et charitate regatur, ideo consilium et adjumentum tuum peto. Poterisne tu aliquid in singulos menses vel in annos ad hoc suppeditare? Si hoc facis, ego operam dabo ut filius tuus humaniorum litterarum studium atque philosophiae cursum compleat, deinde quid ipsi faciendum sit tu dices et Dominus monstrabit.

Ego pro filio tuo ad omnia paratus sum; veni et tu in adiutorium meum et pro certo habeto tuum filium, Domino adjuvante, futurum esse consolationem tuam in scientia, in moralitate, et in amni agendi ratione. Consensum et voluntatem tuam mihi expande et ego curabo ut tu voti compos fias, et nihil daesit filio tuo. Benedictio Dei Omnipotentis descendat copiosa super te, et super familiam tuam et amni a bona veniant pariter cum illa.

Habe me excusatum et me et filium tuum in Domino semper dilige. Vale.

Bosco Jo.